



**H**acco & Hibbo apud Septentrionales popu-  
 los ob plurimas corporis & animi uirtutes in  
 magna existimatione fuerunt. Horū tempore tan-  
 ta fames apud Sueones & Gothos ob perpetua  
 bella exorta fuit, ut tertia pars hominū patria exce-  
 dere & aliā terram querere, sorte missa, coacti fue-  
 rint. Hisce sese Hacco & Hibbo duces præbuerūt.  
 Factum est id circa annum salutis nostræ 400. sunt  
 tamē aliqui qui eam transmigrationem citius, sunt  
 qui tardius factam existiment. Ex ijs Volaterranus  
 annum 520, Danica historia 686, Crantzius 382 po-  
 a uere. Id quod ob Historiarum apud Septentriona-  
 les scriptores confusionem, etiam in alijs factum

est. Fieri potest ut alij ad expeditionem ad Danubium, alij ad profectiōnem  
 Italicam respexerint. Vt cunque sit Hacco & Hibbo fortissimi duces cum suis  
 in Germaniam profecti, ad Danubium confederunt, atq; magna gloria cum  
 sua posteritate rebus ibi præfuerunt, donec tandem cum decimo rege Andoi-  
 no in Pannoniam, & eius filio Alboino in Italiam profecti, & rebus ibi ali-  
 quandiu potiti fuerint: id quod suo loco fusius declarabitur. Ioannes Mag lib.  
 octauo, capite 17.